

DISPUTATIO OCTAVA.

De Timore, & Amore Dei.

PRÆLECTIO I.

Timorem gehennæ bonum & utilem esse, atque ad justificationem disponere; Timorem, quantumvis ad justificationem disponentem, non sufficere, sed necessarium esse amorem Dei, sine quo justificari nemo possit, asseritur, demonstratur.

DE Timore, & amore Dei hodierna luce dicturus, rerum multitudine dicendarum pene obruior, ac tantum oneri non succumbo; ideo in duas Classes præfens argumentum partiri cogimur; in quarum prima de Timore gehennæ sermo erit, quærensque num ex se bonus sit, & utilis. In secunda de amore Dei differemus, & num ad justificationem omnino necessarius sit, ita ut timor absque amore justificari non possit, investigabimus. De prima dicemus nunc, de altera in sequenti.

Itaque ut pressius primam propositam questionem attingam, asseveranter affirmo, timorem gehennæ bonum & utilem esse, atque ad justificationem disponere.

Statuitur id contra Lutherum, cujus Articulus unus a Leone X. proscriptus, timorem gehennæ malum esse, & hominem facere hypocritam, assererat: quem etiam errorem confixit Tridentina Synodus Can. 8. Sess. 6. his verbis. *Si quis dixerit, gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dandam confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

Nititur primo Canon ille Christi verbis Lucae 12. Discipulos ita compellantis: *Dico autem vobis amicis meis: Ne timeamini ab his, qui occidunt corpus & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timeate eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate.*

Nititur etiam SS. Patrum auctoritate, quos inter unum S. Augustinum omnium instar, Lutherum opponimus; hic libr. 1. contra adversarium legis & Prophetarum, cap. 16. dicitur hanc nostram propositionem asserit. *Si ergo, inquit, salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei Sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus utiliter, & timetur. Et lib. de catechizandis Rudibus cap. 5. Severitate Dei, inquit, corda mortalium saluberrimo terrore quatuntur. Et in Psal. 27. Ille timor nondum castus præsentiana, & peccatas timet. Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam; Bonum est & iste timor utilis est.*

Nititur tandem ratione validissima Tridentinus Canon. Timor enim est quadam fuga mali; fuga vero mali rationem suam sumit ex bono, cui opponitur istud malum, cum malum odio haberi ac fugi non possit, nisi quia adversatur bono: ex appetitu quippe & desiderio boni fuga mali, & consequenter timor proficitur. At bonum, cui adversatur gehenna tanquam malum recto desiderio appeti potest: est quippe naturalis integritas atque unitas, & quies natura. Rectus itaque Gehennæ metus dicendus est.

Præterea: Objectum proprium istius timoris;

vel ulla circumstantia nihil includit, quod malitiam implicet, vel repugnet rationi. Sed potius omnino ipsi congruit, cum poena odio fugaque digna sit ex se ipsa; & ista fuga poenæ ultimo fini subordinata sit, & ad illum referri possit intentione voluntatis; Igitur Gehennæ timor per se bonus est.

Denique timor, qui hominem coeret saltem ab opere externo peccati, per se bonus est & utilis: Timor porro gehennæ hominem saltem coeret ab opere externo peccati; per se itaque bonus & utilis est.

Opponet fortasse nonnemo: quicumque motus, qui oritur ex cupiditate, malus est; dicendum ergo, gehennæ timorem utpote ex cupiditate procedentem, cum oriatur ex amore creaturæ, malum esse.

Ideo enim gehennam timet homo, quia integritatem naturalem corporis sui, & animam suam diligit; que dolores, atque cruciatus gehennæ violat; si timor ergo gehennæ ex cupiditate oriatur, malus perinde dicendus est.

Futilis, inquam, ne dicam inepta proflus obiectio illa est. Timor enim qui oritur ex amore creaturæ & in quo, ut in fine ultimo conquiescit, malus quidem est; quod fecus est in eo, qui in amore creaturæ minime conquiescit.

Quid ni dicamus: quemcumque amorem creaturæ & sui ipsius inordinatum non esse, cum ordo charitatis possidet, ut nos ipsos secundum Deum diligamus, & proximum sicut nos ipsos; & tunc solum illicitum dicendum esse, cum sit in creatura, & ad Deum, qui ultimus appetitus finis est, non refertur.

Nihil melioris commatis est, quod nobis statim obtrudat: nimirum timorem illum malum esse, qui expellitur a charitate, ex quo inferne gehennæ timorem malum esse, cum charitas foras mittat timorem.

At minus moror hoc, quod pari fidentia jactant, & nobis audeat occurrant. Non enim, quidquid expellitur a Charitate; per se ipsi contrarium est; & secundum substantiam, ut ita loquamur, sed secundum statum & perfectionem peccatum expellitur & aboletur a charitate ut ipsi per se contrarium, timor vero expellitur, ut contrarius ejus perfectioni. Unde non sequitur timorem gehennæ per se malum esse, sed solum imperfectum; Charitas autem hunc timorem expellens adducit alium perfectiorem, scilicet timorem castum, manentem in seculum sæculi.

Id explicat luculento Augustinus exemplo sermone 18. de verb. Apost. cap. 18. Lubricos, inquit, & inonestos amatores attendite; si quis amore sanctæ lascivus, & nequam, vestit se aliter, quam avarie sue placet, aut ornat se aliter, quam illi placet. Illa dixerit nolo habere talem byrrum, non habet: si per byemem illi dicat, in lacerna te amo; eligit tremere quam displicere. Numquid illa cui displicet, damnatur est? numquid in carcere missura? numquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, non te videbo: hoc solum ibi contemnitur, faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicat, & terret: Deus dicit, & non terret? Sane plurimum. Sed si amamus. Si autem non amamus, non inde terremur: sed terremur ut servi do igne, de gehenna, de atrocissimis tartareis misis, de exagoratis Diaboli Angelis.

DISPUTATIO VIII. PRÆLECTIO I. 471

gelis, ejusque supplicii. Vel inde terreamur, si illud minus amamus; vel illa timeamus.

Non minus perspicue id explicat Tractatu 9. in Epist. 1. S. Joannis. Ergo, inquit, timor non est in charitate. Sed in qua charitate? non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor: quia initium sapientie timor Domini. Timor quasi locum preparat charitati; Cum autem coepit charitas habitare, pellitur timor, qui ei preparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrevit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est, qua intrat charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suum; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.

Conciliat postea SS. Doctor utramque illam Sententiam: perfecta charitas foras mittit timorem, & timor Domini castus permanens in seculum sæculi: Sicut homines, inquit, qui propterea timeant Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte adeant cum Diabolo in igne eterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem, sed sic venit, ut exeat. Si enim adhuc propter poenas times Deum; nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala careres. Sed ex eo quod mala careres corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare coepis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona. Invidite: Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum Diabolo: aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor, quo times, ne in gehennam mittaris cum Diabolo, nondum est castus; non enim venit ex amore Dei; sed ex timore poenæ: Cum autem times Deum ne deserat te, presentia ejus; amplecteris eum, ipso frui desideras. Ex quibus profecto Augustini sententia non est, qui possit ambigere, timorem gehennæ bonum & utilem esse, atque ad justificationem disponere.

PRÆLECTIO II.

Timorem quantumvis ad justificationem disponentem non sufficere; sed necessarium esse amorem Dei, sine quo justificari nemo potest, defenditur, propugnatur.

Mediam duntaxat operis partem expeditimus, dum Timorem gehennæ bonum & utilem esse in antehabitis ostendimus. Restat nunc pars altera expedienda, de Amore Dei; In qua pro officii nostri parte & Scripturarum Oraculis, & SS. Patrum momentis demonstrabimus, Timorem quantumvis disponentem, ad justificationem non sufficere; sed necessarium esse Amorem Dei, sine quo justificari nemo potest.

Hoc liquet primo ex prophetis oraculis, quæ homines ad meliorem frugem adhortantur his verbis ex persona Dei prolatis: *convertimini ad me in toto corde vestro, Joel. cap. 2.* Porro ex toto corde non convertitur, nisi qui Deum amat. Cum enim cor peccatoris a Deo aversum amore conglutinatum sit creaturæ, necesse est, ut a creatura abstrahatur & amore Deo adhærescat, ut vere conversus dici possit. Cum enim cupiditas sola charitate misquatur, aut perimatur: & peccator fit unufqueque, quia ipsi dominatur cupiditas: consequens est, a statu peccati ad statum Justitiæ ipsum transferri, vi & beneficio Charitatis.

Liquet secundo ex verbis Christi de Muliere peccatrice Lucae 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Quibus verbis dilectio Dei,

velut mensura remissionis peccatorum assignatur, ita ut illi minus remittatur, qui minus diligit; illi multa condonentur, qui multum diligit, adeoque illi nihil remittatur, qui non diligit. Id ipsum colligitur ex verbis Apostoli 1. ad Corinth. cap. 16. dicens: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Quomodo autem iustus quis cenferi, ac esse potest, qui coram Domino anathema est? Nemo ergo iustus esse potest, nisi amet Dominum Jesum.

Hoc idem evincitur ex luculentissimo S. Augustini principio: Sincera conversio nulla est, nisi peccandi voluntas deponatur, & nova secundum Christum vita inchoetur: Voluntas porro peccandi non deponitur, nisi quis Justitiam, id est Deum ipsum amet, neque novam vitam auspicatur, quando timore poenæ abstinere a peccato: siquidem timor ille ab opere quidem peccati revocat; sed affectionem animi a peccato non averit. Itaque Justus esse nemo potest, nisi Dei amore a peccato abstinere. Illud autem principium tradit S. Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 8. ubi de Judæis sic loquitur: *Illis (lex) iram operabatur, abundante peccato, quod a scientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore poenæ faciebant, non amore Justitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illa rei tenebatur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impune, committere.*

Et cap. 19. ex hac promissione, hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione peccatores facit; vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transierit, vel certe in sola voluntate, si timor poenæ suavitatem libidinis vicierit: & cap. 22. quoniam & illi, qui sub lege sunt, & timore poenæ Justitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei Justitiam, quia charitas eam facit, quam non libet nisi quod licet, non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, licere quod non licet: & illi ergo credunt Deo: nam si omnino non crederent, nec poenam legis utique formidarent. Hæc Augustinus. Ex quibus colligitur, timorem poenæ non extinguere voluntatem peccandi, sed hanc Victoriam servari amori Justitiæ sive ipsi charitati.

Illud ipsum disertissimis verbis inculcat Epist. 145. ad Anastasium: *Inaniter autem putat, victorem se esse peccati, qui poenæ timore non peccat; quia est non impletur foris negotium mali cupiditatis; Ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas, quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate verus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Hæc ille: ex quibus apertissime constat, voluntatem peccandi per timorem poenæ non tolli; sed solum per amorem Justitiæ sive per charitatem.*

Hoc multo luculentius idem Augustinus evincit exemplo Serm. 169. de verb. Apost. cap. 6. Terrere, inquit, ingenti armorum, atque telorum, & circumstantiis fortissimè multitudinis vocatur a præda: & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis & adhuc Justitia est, qua Justitia tibi consulis, ne torquaris. Quid magnum est poenam timeere? Quis eam non timeat? quis latro, quis sceleratus? quis nefarius? Sed hoc invenit inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timeat leges hominum; & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus poenam timeas, quem fallere non po-

tes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam malum non amor tollit, sed timor premit. Ex quibus profecto consequens est, peccandi propositum non deponi, cum solo timore pœnæ correptus homo a peccato abstinere: sed opus esse, ut amor Dei cor hominis ad ipsum convertat.

Non abimile exemplum urget *Serm. 178. de verbis Apostoli cap. 9. Audeo dicere*, inquit, si timore gehenne non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse iudicium: gaudeo fidei tue, sed adhuc timeo malitia tua. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaris invadere, queris jugulare, queris devorare: vigilans Pastorem, latrans canes: nihil potest, non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Nunquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovem redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est tamen & fremens & tremens. Hæc Doctor SS. ex quibus itidem colligo non immutari hominis peccationem affectionem timore pœnæ; sicut nec lupi immanis indoles timore immutatur, & sicut lupus latrantibus canibus timore percussus, & intractis ovibus fugiens; non ideo fit ovis, sed lupus manet. Ita peccator concionatorum Judicii divini minas exaggerantium verbis perterritus, etsi abstinere aliquando ab opere peccati, non fit iustus, si solo timore abstinere: sed necesse est, ut amore iustitiæ succensus peccatum execretur.

Denique *Sermone 117. de tempore*, verbis clarissimis hanc dirimit controversiam: penitentiam, inquit, certans non facit, nisi adium peccati, & amor Dei: Igitur amor Dei necessarius est, ut sit vera peccatoris conversio.

Probat hanc etiam luculentissime ex aliis Patribus bene multis, sive qui S. Augustino in hoc asserendo dogmata praeferunt, sive qui eundem sequuti sunt. Hos inter S. Joannes Chrysostomus *Homil. 4. in caput 2. Epist. 2. ad Corinths*. hæc habet: Cum peccaveris indignifice: non quod pœnas datus sis (nihil enim hoc est) sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique salutari tue appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit.

Non minus disertus sunt S. Petri Chrysostomi ea de re verba *Serm. 94. Audistis*, inquit, quemadmodum celestis creditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius favoris, amoris solius exigit, & requirit usuram. Et infra: Sed licet in hac re cecideris, licet fueris in ista devolutus, vide ne desperes. Absolve vis. Ana, charitas cooperiet multitudinem peccatorum.

S. Leo eidem sententiæ suffragatur *Serm. 7. de jejunio septimi mensis*: Et cum inde dicatur, inquit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut te ipsum, Christo Domino dicente cognovimus, quod in his duobus mandatis tota lex pendet, & Propheta, tantaque est sub hujus gemina charitatis edicto utriusque capita Testamenti, ut sine istarum conexione virtutum, nec lex quoniamquam invenitur justificasse, nec gratia. Quibus verbis non obscure significat neminem unquam justificatum fuisse, sive tempore legis scriptæ, sive legis Evangelicæ absque amore Dei.

Confirmat hoc ipsum S. Gregorius Magnus *homil. 26. in Evangelia*: Videndum est, inquit, quæ culpa precessit, aut quæ sit penitentia sequuta post culpam: ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Ibidem ait, Sacerdotes illos debere absolvi, quos noverunt Dominum per gratiam suam vivificare, & assert

exemplum Apostolorum, qui Lazarum solvere iussit prius non fuit, quam esset a mortuis suscitatus: Si enim, inquit, Discipuli Lazarum mortuum solverent, factorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex quibus colligitur necessarium esse ad justificationem, ut peccator jam sit suscitatus a peccandi affectu, & novam vitam agere incipiat; quod cum esse non possit absque Dei amore secundum illud S. Joannis in sua prima Epist. cap. 3. Qui non diligit, manet in morte: amor Dei saltem inchoatus ad justificationem necessarius esse videtur, etiam per Sacramentum penitentiae consequendam; perfectus vero, quo constat proprie dicta contritio extra Sacramentum.

Æque luculenta sunt quæ scripsit S. Gregorius in *Commentario lib. 1. Regum ad Versum trigentesimum capitis 5. Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat, dicens*: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad iustitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad iustitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ conversionis. Hæc S. Gregorius.

His assentitur S. Isidorus Hispalensis *lib. 2. Sent. cap. 21. Qui vero*, inquit, sola pœna supplicii in se vitia repunit: quavis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque sibi esse illicitum quod lex prohibere disposuit. Ille ergo mercedem boni operis percipit, qui amando iustitiam facit, non is qui eam solo metu pœnarum inruitus custodit.

Sandum claudat agmen S. Bernardus in *Tractatu de diligendo Deo*: Est, inquit, qui conficitur Domino quoniam pœnas est, & est qui conficitur quoniam sibi bonus est; & item qui conficitur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi; secundus mercenarius est, & cupit sibi. Tertius filius est, & deserit patri. Sit igitur servus sua lex, timor ipse quo constringitur; sit sua Mercenario cupiditas, qua & ipse ardetur, quando tentatur abstractus & illicitus. Sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas vero connectit animas quas facit voluntarias. Ex quibus colligo necessarium esse veram Charitatem ad justificationem; siquidem animam peccatoris nec servilis timor, nec spes ipsa, qua sibi æterna bona cupit; sed Charitas sola convertere potest.

Probat hanc totum ex S. Thoma in *4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 1. ubi de Antiocho loquens habet*: Veniam consequutus fuisset (Antiochus) si vero penitisset, sed non habuit veram penitentiam, quia non ex amore iustitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ, quam expectabat, vel dolore pœnæ, quam sustinebat, & hoc etiam multis in sine penitentibus contingit, quia non est facile, ut affectus, quomodo homo toto tempore vite sue inclinavit in aliquid, subito ad contrarium retrahat.

Et in *quest. disp. quest. 7. art. 11. ad 3. ejusdem rationis est*, inquit, quod voluntas servatur in appetitum conservari; & in desolationem alterius. Nullus autem usum habens liberi arbitrii potest inchoare novam vitam, quæ est per gratiæ infusionem, nisi amet & appetat gratiæ bonum; & ideo oportet, quod desinetur omne malum repugnans.

Et 3. parte *quest. 85. art. 6. in c. Actus virtutis penitentiae*, inquit, est contra peccatum ex amore Dei; & q. 86. art. 3. in c. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum supra omnia dilectum, (quod requiritur ad rationem penitentiae); sequeretur quod de omnibus peccatis penitenter.

Et

Et in *suppl. quest. 10. art. 5. Respondeo dicendum*, quod Confessio operatur præsupposita Contritione, quæ culpam delet, & sic confessio directe ordinatur ad dimissionem pœnæ; quod quidem facit ex erubescencia, quam habet, ex vi clarioris: Quibus se confitens subjicit. Quibus verbis S. Thomas contritionem etiam cum Sacramento postulat utique imperfectam, quæ tum culpam delet, si perfecta evadat; tunc confessio, ut actu executioni mandata, solam pœnam dimittit; quamvis ut in voto habita, culpam etiam expungat: quia contritio in nova lege non justificat peccatorem baptizatam, nisi cum ordine ad claves Ecclesiæ a Christo datas; quibus nisi se subiceret, peccati veniam minime consequeretur.

PRÆLECTIO III.

Hæc eadem questio Tridentini Concilii auctoritate firmatur; Eam tamen a Synodo Tridentina finitam non fuisse multis evincitur.

Nunc quid indidum prætermittamus quod ad antehabita questionis elucidationem conducere valeat; Duo nobis in presentia investiganda supersunt, quæ sola reliqua esse videntur. Primo: Illud ipsum fuisse cum Augustino, cæterisque prælaudatis Patribus Concilium Tridentinum. Secundo: hanc propositam questionem ab eadem Synodo nequaquam finitam fuisse. Quæ duo, ut semel exposita fuerint, nihil erit ultra, quod studiosos Adolescentes hac in parte morari possit.

His etenim verbis sententiam aperit suam *Sess. 6. cap. 6. Cum a divina iustitiæ timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & desolationem, hoc est, per eam penitentiam quam ante Baptismum agi oportet.

Ex quibus profecto constat, inter dispositiones ad justificationem necessarias a Concilio Tridentino censi inchoatum Dei amorem, qui quidem non est merus amor spei, sed benevolentia, quo Deus super omnia diligitur. Namque Tridentina Synodus præter spem in quam peccatores eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, postulat amorem, quo ipsum tanquam omnium iustitiæ fontem diligere incipiant; at amor a spe distinctus est amor benevolentia: Concilium igitur postulat amorem benevolentia, ut dispositionem ad justificationem necessariam in prima justificatione, quæ fit per baptismum.

Id ipsum Confirmat *Canone 3. Si quis dixerit*, sine præveniente Spiritu S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut peccare posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. Quo ex Canone patet non solum fidem & spem, sed & dilectionem, qua Deum sicut oportet, id est super omnia diligamus, a Concilio statui inter dispositiones ad justificationem necessarias: adeoque non de solo amore spei, qui a spe ipsa indistinctus est, sed de amore benevolentia esse intelligendum.

Ex quibus rursus colligere est multo magis amorem Dei ad justificationem in Sacramento penitentia necessarium esse: cum longe major dispositio desideretur ad justificationem peccatoris post Baptismum, quam ante; quocirca eadem Synodus *Sess. 14. cap. 2. ait*: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum penitentia magnis nostris steribus, & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus: ut

Serry Tom. IV.

merito penitentia laboribus quidam baptismus a SS. Patribus dictus fuerit.

Quod non minus luculenter colligitur ex *cap. 4. ejusdem sessionis*: ubi contritionis motum quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse docet. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere: juxta illud *Exech. 18. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum*. . . . Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsa nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quæ in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quovis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento penitentia impetrandam disponit: Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitarum prædicationem, plenam terroribus penitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Hæc Synodus: ex quibus colligo Tridentini Concilii Patres in eam propendisse sententiam, quæ attritionem ex solo gehennæ metu conceptam etiam cum Sacramento non sufficere ad justificationem asserit, sed necessarium esse amorem Dei saltem imperfectum propugnare. Primo quia eum dolorem requirit, qui voluntatem peccandi excludat: porro peccandi voluntas non excluditur, nisi contraria voluntate, scilicet amore iustitiæ. Secundo: quia quovis tempore contritionis motum ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse docet: Si quovis tempore, non igitur extra Sacramentum duntaxat, sed etiam in Sacramento.

Cum igitur Contritio sit dolor de peccato, quantum Dei offensam est, ex amore ipsius super omnia conceptus: & Contritio perfecta, & imperfecta, quam Attritionem vocamus, differant tantum ut perfectum & imperfectum sub eodem Contritionis genere, ut innuit sacra Synodus; sequitur contritionem imperfectam, quæ attritio vocatur, non ex solo pœnarum timore conceptam esse debere, ut sit dispositio ad justificationem sufficiens cum Sacramento; sed admixtum habere Dei amorem, super omnia saltem inchoatum & imperfectum. Tertio: quia declarat sacra Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud *projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum*, Exechiel. 18., atqui cor novum fieri non potest sine vero Dei amore; Itaque in illam propendet sententiam sacra Synodus, quæ Dei amorem ut dispositionem ad justificationem necessariam postulat. Quarto: in exemplum asserit penitentiam Ninivitarum, qui timore utiliter concussi ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus penitentiam egerunt; atqui penitentia Ninivitarum aliquem charitatis motum admixtum habuit: nam vidit Deus opera eorum, quæ conversi sunt de via sua mala, *Jonæ cap. 3.* Deus porro nullam habet rationem operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide

Ooo que

quæ per dilectionem operatur; Itaque Tridentina Synodus existimavit, aut certe in eam propeudit sententiam, contritionem imperfectam, quæ cum Sacramento justificat, cum aliquo gradu amoris Dei conjunctam esse debere.

Observandum est tamen, (quod secundo loco probaturus spondimus) hanc questionem a Synodo Tridentina finitam non fuisse: nam neque tunc temporis controversa erat, neque hæretici ea de re negotium Catholicis facebant. Sed id unum contra hæreticos Synodus sanxit, dolorem peccatorum ex penarum metu conceptum, cum proposito melioris vitæ non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: sed esse verum & utilem dolorem, & præparare ad gratiam, nec esse coactum sed liberum, Id confirmat Cardinalis Palavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 12. cap. 10. ubi testatur, hanc fuisse eorum Theologorum sententiam, qui Concilio interfuerunt, & quorum consilia audiebantur antequam dicerentur Controversiæ; anathemate duntaxat damnandum esse hæreticorum errorem, qui timorem gehennæ ut rem ex se malam rejiciebant, non autem ferendum esse ea de questione iudicium, quæ ultra citroque a Scholasticis disceptabatur, utrum timor ille vel sine Contritione perfecta, vel sine amore Dei inchoato, ad veniam peccatorum in Sacramento consequendam, satis esset.

Addit insuper eo loci paucos admodum Patres istam difficultatem attingisse; eisque leve tantum inveniri vestigium in suffragio Archiepiscopi Granatensis, qui Dei amorem non esse necessarium ad justificationem in Sacramento opinatus est: Joannem vero Emilianum Hispanum Episcopum Tudensem, contrariam opinionem propugnasse, scilicet necessariam esse contritionem perfectam; nec ideo consequens esse peccata per Sacramentum non remitti, quæ jam ante, vi Contritionis, remissa sint: siquidem Contritio id præstabat vi Sacramenti, cujus votum habebat adjuncum. Refert deinde caput 4. Sess. 14. Iis conceptum fuisse verbis, quæ suspensionem ingerere possent attritionem ex solo penarum metu ortam cum Sacramento ad justificationem satis esse: sed Tudensem Episcopum suggestisse Patribus, varias esse hæc de re Theologorum sententias, quæ discuti prius deberent, quam id in rem iudicatum transiret. Cuius admonitionis habita ratione sacra Synodus reformavit Decretum, illudque iis concepit verbis, quibus modo legitur.

Denique ne in commemorandis innumeris Auctoribus, qui post Synodum Tridentinam, propugnarunt Attritionem quæ amorem Dei non includat, non sufficere ad justificationem etiam in Sacramento: Summus Ecclesiæ Pontifex Alexander VII. Decreto edito die 5. Maii, Anno Domini 1667. questionem hanc a Synodo Tridentina finitam non fuisse iudicavit, præcipiens in Virtute S. Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis lata sententiæ S. Sedis reservata, aliisque ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, cunctis & singulis fidelibus, quocumque gradu & dignitate Episcopali & majori, imo & Cardinalitæ, fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfata scribant, vel libros aut Scripturas edent, vel doceant, vel prædicant, vel alio quovis modo penitentes aut Scholares ceterosve erudiant, non audeant alicuius Theologicæ censure alteriusve contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliquam dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu Gehennæ conceptæ, quæ badie inter Scholasticos communior videtur: sive asserentem dicte dilectionis necessitatem; donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hæc in re definitum.

PRÆLECTIO IV.

Probatur quod est nihil sit de necessitate amoris Dei ad Justificationem discrete definitum; secus tamen sententia est, quæ hujusmodi necessitatem docet.

In superiori Prælectione multis argumentis evincimus, Synodum Tridentinam questionem de necessitate amoris Dei in Sacramento Penitentia non definitum; Restat nunc, ut probemus, securiorem sententiam esse, quæ hujusmodi necessitatem docet, tutioremque sequi viam, qui viribus omnibus entuntur ad Dei amorem, ut in ejus gratiam recipiantur per Sacramentum penitentia.

Id in primis evincunt ne dum momenta a nobis in antecessum prolata; verum etiam Theologorum celeberrimorum auctoritas, in eandem sententiam conspirantur.

Habemus loco primo ex ordine FF. Prædicatorum S. Raymundum Lando in Summa lib. 3. de penit. parag. 11. dicentem: qualiter autem hoc sit intelligendum; utrum sola Contritio sine confessione tollat peccata, an Contritio cum confessione, variæ sunt opiniones. Quas cum singillatim retulisset; de tertia subjungit. Tertio vero dicunt sola contritione cordis dimitti peccatum cuilibet adulto, si vere contrivetur, & proponit ab aliis abstinere; & illud confiteri & de eo satisficere secundum iudicium Ecclesiæ. Et infra: hæc ultima opinio celebrior est. Et paulo post: quod etiam ista opinio sit vera, patet per exemplum Lazari, quem prius suscitavit Dominus, quam a Discipulis solveretur; & per decessu leproso, qui in viam antequam veniret ad Sacerdotes, mundatus fuit. Cum itaque S. Raymundus novitates & singulares opiniones tanquam pestem perpetuo vitandas putaverit, ut dixere Commissarii a Clemente VIII. ad expendendam causam Canonizationis ipsius deputati; perspicuum est, opinionem illam, quam propugnavit de necessitate Contritionis saltem imperfectæ, quæ suscitare possit peccatorem, adeoque sit cum amore Dei conjuncta, ejus tempore habitam esse ut tutiorem, fuisseque magis communem. Profero secundo ex eodem ordine doctissimum Cardinalem Cajetanum in Summa minori: ubi cum exposuisset discrimen, quod inter contritionem & attritionem intercedit; Contritionem in eo esse positam dixisset, ut peccatum supra id omne quod odio haberi potest, odio habeatur: quærit quo tempore hujusmodi Contritionis præcepto teneamur; & respondet tribus casibus esse absolute necessariam. Primus est periculum Mortis. Secundus est susceptio vel administratio Sacramenti, & universaliter excitatio cujuscumque actus exigentis hominem sine peccato mortali; quia nisi conteratur, tunc homo mortale peccatum incurret. Tertius cum præceptum Ecclesiæ de annua confessione implendum est.

Profero tertio Melchiorum Cano parte 5. relegionis de penitentia ad tertium argumentum: deinde, inquit, respondetur, quod contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia. Quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum, & ideo Concilium Florentinum communisque sententia tenens certum, reliquos incertum, ponit contritionem esse partem Sacramenti.

Ex Ordine FF. Minorum profero Henricum Harpoldium lib. 1. Theologie Mystice cap. 5. dicentem: differunt igitur attritio & contritio: nam attritio oritur ex timore pœne, contritio autem ex consideratione divini offense: & infra: quantumcumque fuerit attritio, nullum peccatum delere potest.

DISPUTATIO VIII. PRÆLECTIO IV. 475

est nec mortale nec veniale: nisi prius formata Charitate converfa fuerit in Contritionem.

Ex Ordine Carmelitarum habemus Thomam Valdensium Tomo 2. de Sacramentis cap. 143. placet, inquit, quod Lazarus suscitatur, & vivit prius tempore quam solvantur Discipuli: Ita Dominus suscitavit peccatorem, priusquam solverint Sacerdotes.

Habemus ex Societate Jesu Suarezium in 13. parte quest. 90. disput. 15. artic. 4. numer. 17. tandem vera, inquit, inquiri hic potest, an saltem per accidens, ratione dubii, seu periculi teneantur fideles, in lege gratiæ ad habendam contritionem, saltem in articulo mortis; si mortaliter peccaverunt, etiam si attritione cognita confessi sint, vel confiteri possint, est enim verisimile hanc obligationem durare saltem ex lege charitatis; nam licet sit proba bilis opinio, attritionem cognitam cum Sacramento suffi cere ad justificationem: tamen non est certa, & potest esse falsa. Quod si fortasse in re ita est probabilis, illa existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens & volens ita se mori permittit, voluntario exponit se periculo morali aeternæ damnationis. Nam ubi est morale dubium, est morale periculum præferri in re tam gravi: hic autem est morale dubium, cum illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis sit; nec habet locum hic distinctio de dubio practico, vel speculativo: nam quando dubium est de re ipsa seu effectu an fiat nec ne, tam dubium speculativum quam practicum sufficit ad rem ipsam in pericula constituendam. Videtur autem profecto Charitas obligare hominem ne sit adeo negligens suæ salutis aeternæ, ut eam tanto periculo exponat. Ergo obligat eum ad faciendum quod in se est, & conandum ad habendam contritionem.

Profero & Sanchez ex eadem Societate lib. 1. cap. 9. num. 34. non peccabit Sacerdos, inquit, si penitentem pro sola attritione per ipsum cognita absolvat, sequendo opinionem probabilem sustententem tam sufficere ad Sacramenti penitentia valorem, & ut gratiam conferat: hoc tamen intelligerem nisi panitentem in articulo mortis esset; atque habere posset contritionem. Tunc enim mortale esset & recipere, & ei Sacramentum penitentia cum sola attritione cognita ministrare propter gravem damnationis periculum, cui ille exponeretur, si forte hæc sententia non esset vera; cum tamen gratia Dei adjuvante possit securum contritionis remedium assequi.

Habemus & Becanum ex eadem Societate Tract. 1. cap. 4. quest. 9. de bonitate & malitia humanorum actuum: ad tertium, inquit, fateor verum esse, cum Contritione accedere ad Confessionem, ac prorsus eum qui scit se non esse contritum, sed tantum attritionem consultus facturum si coactus in se excitare contritionem.

Ex quibus colligo omnibus hisce auctoribus, qui plerumque oportet jugam Christi exasperare non confueverunt; sententiam, quæ solam attritionem ex gehennæ metu conceptam ad justificationem satis esse in Sacramento propugnat; non omnino sequendam vitam esse saltem in proximo mortis; quam si quis tunc sequeretur, perpetuæ damnationis periculo se exponeret agendo secundum opinionem, quæ forsitan falsa est in re, in qua de summa salute agitur. Porro si in mortis discrimine, hæc sententia non est omnino tuta, & periculo se exponit violandi Sacramentum, qui illam sequitur; nec sequenda est toto vitæ curriculum; cum periculum præsto sit, non minus sacrilegii committendi, si hæc opinio falsa sit, ut forsitan falsa est, ut celeberrimi ii Societatis Patres testantur. Et hæc si Christianus quibus eo animo ac ea pietate accedere debet ad Sacramentum cum sanus est, quæ ad illud accederet mor-

Serry Tom. IV.

ti proximus, & tantam habere salutis suæ curam, cum mors semper sit in Januis, consequens est, non minus licere sanis, quam moribundis sequi opinionem, quæ tuta omnino non est, qualis profecto est, quæ attritionem omni Dei amore destitutam, sufficere ad justificationem cum Sacramento asserit.

His suffragatur Comitulus ex eadem Societate Jesu lib. 1. questionum Moralium quest. 32. num. 8. Neque tamen, inquit, fuerim inficiatus posse penitentem absolvi, si parum dolere se ait, neque propter Deum ex Charitate dolere: quod cum dicit, id dicit, se vere contritum non esse, modo adit attritio, de qua paulo ante diximus. Sed paulo post subjungit. Huc adeo quod plures magnique Theologi in penitentia antequam absolvatur, contritionem veram Charitate formatam requirunt: neque usque adeo certum est, attritionem penitenti esse satis, quæcirca Sacerdotis partes præcipue esse debent, vere Contritionis motum in corde penitentis auxiliante Deo elicere, ardentique eum cohortatione urgere ut propter Deum peccata admissa exerceatur omnia. Cum itaque Comitulus lib. 5. quest. 15. integerrimam propugnet sententiam de opinione probabiliori & certiore, minus probabili & minus certa in praxi anteponenda secundum ejus principia & ipsam veritatem, concludendum est, opinionem illam, quæ amorem Dei necessarium esse ad justificationem in Sacramento penitentia consequendam propugnat, alteri esse anteponeendam, quæ attritionem ex solo penarum metu conceptam, & omni Charitatis actu destitutam satis esse asserit.

Antiquior Comitolo, ejusdem Societatis primus Cardinalis Toletus lib. 3. de instructione Sacerdotum cap. 10. exponens, quibus casibus penitens confessionem iterare debeat; hæc habet: Tertius casus est, cum habet conscientiam se non accedere contritum, sed solum attritum: peccat enim sic accipiendo absolutionem, nec valida est confessio. Equidem sequuntur aliqua, quæ Toletum in contraria opinione fuisse evincerent, nisi intrusa probarentur. Sed ex Editionibus istius libri Antuerpiæ factis annis 1599. & 1660. constat hæc quæ in iis non leguntur verba interpolatrice manu addita esse: quod intelligendum est de Attritione, quæ est imperfectus dolor peccati præteriti, & imperfectum propositum futuri. Nam si sit vera detestatio culpe præteritæ, & propositum cavendi ob pœnas Inferni, puto quod licet licet homo se esse tantum attritum, est vera confessio, & accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam, ut colligitur ex Concilio Tridentino.

Similis Interpolatio occurrit Cap. 4. ejusdem libri, ubi cum hæc verba legissent, quæ Toleti sententiam de necessitate Contritionis discrete expriment: qui cum sibi constat se non esse vere contritum, debet prius vere contriti: addidere: ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior, ut infra cap. 10. rursus dicam.

Denique cum in eodem capite scripserit doctissimus Cardinalis prima quidem attritio si talis sit, ut cognoscat penitus se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa & pœna inferni, quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad sacramentum. Imo qui sic accederet, peccaret denovo, & non impleat præceptum, sed esse repetendum Sacramentum. In isto inquam loco expunxerunt hæc verba, & pœna Inferni; ne videretur Toletus dolorem ex solo penarum Inferni metu conceptum, ut insufficientem ad justificationem peccatoris etiam cum Sacramento, rejicere.

Sed non unum aut alterum Auctorem ex singulis Ordinibus pro hac securiori sententia laudare satis duxerim: Nobilem Doctorum Chorum profero, totam scilicet Facultatem Lovaniensem: quæ

quæ a Parochis Gandavenfibus rogata sententiam hac de Controversia, eam opinionem approbavit ut securam & veram, ac fidelibus prædicandam, quæ imperfectum saltem amorem benevolentia erga Deum postulat, ut necessarium ad Gratiâ justificationis in Sacramento impetrandam; & attritionem ex solo Gehennæ metu conceptam sine hujusmodi amoris interventu non sufficere respondit. Editum est istud Decretum die ultima Maii Anni 1662. Facultate sub juramento convocata & congregata.

Nec vero quoscumque Doctores, sed eximia sanctitatis & ab Ecclesia vindicata, viros hujus sententia vades proferimus ac vindices, præter eos, quos jam appellavimus, scilicet S. Franciscum Salefium Genevensis Episcopum *lib. 2. de amore Dei*; cujus verba latino idiomata fideliter, & simpliciter reddemus. *Pœnitentia, quæ non excludit amorem Dei, quamvis adhuc sine ipsa sit, est bona, & optanda pœnitentia, sed imperfecta & quæ salutem nobis dare non potest, donec ad amorem Dei perveniat sit, & cum ipso commixta: ita ut sicut Magnus Apostolus dixit, si corpus suum traderet & distribueret pauperibus omnes facultates suas non haberet autem Charitatem, id sibi prodesse nihil. Ita vere dicere possimus: est pœnitentia nostra esset, ut in lachrymas oculi nostri residerentur, & dolore cordis nostra colligescerent, nisi Sanctum Dei amorem habeamus; id tamen nobis ad vitam æternam nihil plane profuturum. Denique antiquorem B. Franciscum Salefio nec minori sanctitate conspicuum, ac doctrina illustrem, qui hanc sententiam auctoritate sigillet sua, profero S. Antoninum in Summa 4. parte Titulo 14. cap. 5. de Timore servili. Quia, inquit, timor servilis non est in Charitate, ideo non sufficit ad salutem, & ideo pœnitentes præcipue in Infirmitatibus gravibus oportet admoneri, ne ad pœnitendum & confitendum propter hujusmodi principaliter moveantur; nam inutilis sibi esset talis pœnitentia hoc expresse dicit B. Augustinus. Id confirmat exemplo relato in lib. de 7. donis, suo tempore vulgato de quodam Scholastico Parisiis defuncto: qui lethaliter decumbens multis cum lachrymis confessus est, devote suscipiens omnia Sacramenta, secundum humanum iudicium. Hic postquam e vita migravit, Doctori suo, prout spondederat, Deo volente, comparuit, a quo de statu suo interrogatus, respondit, se damnatum esse; cumque ille miraretur nimis, causam quaerens; cum ipsum cum tantis lachrymis pœnitisset in fine, & Sacramenta devote suscepisset, Respondit ille: pœnitentia mea & lachrymae meae non juere propter amorem & propter Dei offensam, sed propter penam Inferni. Hæc S. Antoninus.*

PRÆLECTIO V.

Adverse Sententia momenta refelluntur.

Expōita jam in præhabitis Relectionibus necessitate amoris Dei ad justificationem peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ; Ordinis ratio postulat, ut adversæ partis argumenta, quibus maxime fidem ii, qui contrariam opinionem tutantur, diluamus. Quod ut paucis præstemus; En quod loco primo iactant Adversarii.

Si amor Dei, ajunt illi, necessarius esset ad justificationem peccatoris in Sacramento. Pœnitentiæ; sequeretur peccatorem esse ante justificationem, quam absolutionem recepisset a Sacerdote: Quod porro falsum est: cum sit hæreticum asserere, absolutionem esse meram declarationem remissionis peccatorum a Deo concessæ, non judiciale actum; & certe si esset ante remissa peccata, quam pœnitens absolutione donatus esset

a Sacerdote, absolutio mera declaratio esset remissionis peccatorum a Deo jam concessæ, unde inferunt, amorem Dei necessarium non esse ad justificationem peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ.

Temere tamen suam illam cautionem reinunt & inconsulto. Peccata enim etiã ante absolutionem dimissa essent, non sequeretur absolutionem esse tantum declaratoriam. Nam in iis, qui perfectam contritionem de peccatis habent, antequam ea ante Sacerdotem deponant, absolutio declaratoria non est duntaxat, quibus tamen jam remissa sunt peccata: remissa, inquam, vi absolutionis, cujus votum in contritione includitur, unde non sequitur, quod Adversarii inferunt, unde esse necessariam confessionem: sicut non sequitur necessarium non esse Baptismum Catechumenis, qui ex amore Dei Baptismum præcedente, justificati fuerunt. Nec est quod importunus querant, quid facerent confessio & absolutio Sacerdotis? Respondemus enim, non quod aliqui respondent Scholastici, illo in casu absolutionem remittere duntaxat reatum pœnitentiæ æternæ, non vero culpam, quæ jam vi Charitatis dimissa est. Hæc enim nobis improbabili videtur responsio, quamquam in exemplo Lazari fundata videatur, qui prius fuscitatus fuit a Christo, quam solveretur a Discipulis. Namque impossibile iudicamus, eum qui in amicitiam cum Deo rediit, esse adhuc pœnitentiæ debitorem. Quid ergo? utro citroque fatemur, nescire nos, quid tunc præter absolutionem, quamvis necessariam esse a fide edocti noverimus, hoc enim vero Mysterium est, cuius modum humani ingenii infirmitas ignotum revereri debet, non querere, sicut in cæteris Religionis nostræ Mysteriis, illi Interrogationi, quomodo potest hoc fieri? locus non datur; sed quanto difficiliore intellectu concipiuntur, tanto laudabiliore fide creduntur: ut ait S. Ambrosius.

Quidni quoque dicamus, Etsi amor Dei perfectus peccatorem justificat ante Sacerdotis absolutionem, non tamen amor imperfectus. Unde multo minus sequitur in hac hypothese, absolutionem esse tantum declaratoriam. Amor, inquam, imperfectus pœnitentem non justificat ante absolutionem; sicut non justificat Catechumenum ante Baptismum: utriusque enim par ratio est: Porro Catechumenus imperfecto tantum amore Deum diligens, aut minori fervore Baptismum desiderans non justificatur ante susceptionem Baptismi. Quo spectant illa S. Augustini verba *Tract. 13. in Joannem: Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc Sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non carnis populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressura peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi venerit.*

Sed inquit: Si pœnitens imperfecto illo Dei amore successus moriatur, sequitur ipsum damnatum iri, postquam quod amor imperfectus non sufficit ad justificationem extra Sacramentum. At quomodo fieri potest, ut quis Deum quoquo modo diligens, in æternum pereat?

Respondeo: amorem illum imperfectum, habitum Charitatis in pœnitentis animo nec supponere, nec producere; cum sit motus Spiritus Sancti nondum inhabitantis, sed tantum moventis, adeoque actus est, qui rapit transit; unde non sequitur eum damnari, qui Deum diligit, sed qui Deum dilexit; non tamen sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: quæ Tridentini Concilii verba sunt.

Cui addiderim ego, aliud esse ferendum iudicium

PRÆLECTIO VI.

Probatur contra Calvinistas, dogma fidei esse, Justos a statu Gratiæ & Charitatis excidere posse, adeoque non perseverare omnes, qui semel justificati fuerunt.

Hæc nobis intercedit cum Calvinistis Controversia, qui hominem ex quo semel justificatus est, nunquam posse a Justitia excidere perveracissime contendunt; adeoque eos qui non perseverant, nunquam vere justificatos fuisse. Quæ de re Calvinus *lib. 3. Instit. cap. 2. par. 11. ait: solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam peccat semen vitæ in eorum cordibus insitum. Et par. 12: hoc interim tenendum est; quamvis exigua sit & debilis in electis fides; quia tamen Spiritus Dei certa illis arbor est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ab eorum cordibus deleri posse ejus culturam.*

Hoc Calvinii dogma decreto suo firmavit Synodus Dordrektana Canone 6. Anno 1619, cujus hæc sunt verba: *Deus enim qui dicitur esse in misericordia, ex immutabili electionis proposito Spiritum Sanctum etiam in tristibus lapsibus a suis non procul aufert; nec eos usque prolabi sinit, ut gratia adoptionis, & justificationis statu decedant, aut peccatum ad mortem sive in Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitus deserant in exitum æternum se precipitent. Et Canone 7. in istis lapsibus conservat in illis semen illud suum immortale, ex quo regenerati sunt, ne illud pereat aut excutatur. Idem ex Calvinianorum Pseudo-Theologis, sive ex celeberrimis hujus Sæcæ Scriptoribus probat luculentissime vir doctissimus Antonius Arnauldus Theologus Parisiensis *lib. 2. de morali Christiana, Calvinistarum erroribus circa justificationem, erroris cap. 1. & sequentibus usque ad 6. Contra quos tamen impræsentiarum propositionem hanc fidenter pronuncio: Dogma fidei est, Justos a statu Gratiæ & Charitatis excidere posse, adeoque non perseverare omnes, qui semel justificati fuerunt.**

Probatur hoc primo ex Ezechiele Propheta *cap. 3. dicente: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me se dicente me ad impium: morieris: non annuntiaveris ei, neque loquutus fueris, ut advertatur a via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, & sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed & si conversus justus a justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit: Sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Sed qui moritur in peccato, & cujus præcedens Justitia non est in memoria apud Deum, ille procul dabo a Justitia excidit, & quidem in perpetuum: concludendum est igitur, Justum a Justitia sua excidere posse, & gratiam atque Charitatem amittere non solum ad tempus, sed in perpetuum.*

Idem probatur ex *Cap. 18. Anima, inquit, quæ peccaverit: ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: Justitia justis super eum & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & Justitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*

cium de homine in extremis posito, qui non habeat copiam Sacerdotis a quo beneficium absolutionis consequi possit, & de homine, cui præsto est Sacerdos, a quo possit absolvi. Prior enim contempti vel neglecti Sacramenti reus est, non posterior, quam ob rem satis consentaneum credimus divinæ bonitatis & misericordiae, ut in extremo illo discrimine imperfectus amor ad illum provehatur perfectionis gradum, qui ad justificationem necessarius est. Quod fit & in Catechumenis, Deum imperfecte diligentibus. Si enim Baptismum non recipiant, non justificantur, sed portant Sarcinam iniquitatis suæ, ut ait S. Augustinus; quos tamen voto Baptismi justificari certum est, si mors ipsos preveniat, antequam Baptismum suscipere valeant.

Alterum repetunt ex communi illo Theologorum axiomate argumentum: nimirum pœnitentem ex attrito fieri contritum in Sacramento Pœnitentiæ: falsum proinde (ajunt illi) axioma illud dicendum esset, nisi attritio ex solo peccatum metu concepta sufficiens dispositio esset ad justificationem in Sacramento; concludunt igitur attritionem hujusmodi esse sufficientem.

At nos facile nodum istum exolvimus, si dicamus, ex attrito fieri contritum: quia amor imperfectus in perfectum evadit vi Sacramenti: sive contritio perfecta Sacramentum ipsum sequitur. Hunc esse istius axiomatis sensum ex celeberrimis Theologis constat. Primum ex Vincentio Bellouacensi in Speculo Historiali *lib. 8. cap. 37. dicente: virtute confessionis & absolutionis vel datur vel augmentatur dolor, & desolatio peccati, & datur gratia, quæ de Attritione fit Contritio. At sensus Vincentii Bellouacensis alius non est, quam Contritionem accedere ad Attritionem debere, eamque perficere antequam recipiatur absolutio. Id constat ex *Cap. 52. ejusdem libri: ubi triplex Judicium distinguit: primum Dei, secundum Petri in Ecclesia Militante, tertium sursum in Curia Cœlesti. Primum est, quod Deus mundat animam in contritione, & hoc præcedit reliqua duo tempore, dignitate & effectu. Est enim Deus, qui claudit, & nemo aperit. Eodem sensu hoc axioma explicat Joannes Vignerius Ord. Prædicatorum in Institutionibus *versu 10. de contritione. Ex Attritione, inquit, aliquis non fit contritus, nisi ad hunc sensum; quod post attritionem venit contritio: sicut dicitur ex *Mano fit Meridies, & ex injusto fit justus ex consuetudine. Sic postquam aliquis est attritus, fit contritus contritione desinente propter aliud principium, sive obiectum superveniens, quod est Timor Dei filialis: vel Deus summe dilectus. & hæc fuit opinio Divi Thomæ in 4. Hæc vero Vignerii Institutiones solemnè ritu approbatae sunt a sacra Facultate Parisiensi Anno 1549. die postrema Julii.****

Eodem sensu illud explicant S. Carolus Borromeus *actorum part. 4. de Institutione pœnitentium*, Cardinalis Paleota in Constitutionibus Bononiensibus *3. parte Editionis Anni 1594. Alphonfus Salmeron Societatis Jesu Tomo 2. Tract. 18. & Joannes Molanus celeberrimus Academiæ Lovaniensis Theologus Tract. de Contritione cap. 1. num. 30. dicens: Seniores igitur Scholastici, cum assererent virtutem Sacramenti Confessionis ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de Attritione quæ adjunctum habet effectum, quo pœnitens incipiat diligere Deum tanquam Justitiæ fontem.*

in Justitia sua, quam operatus est, vivet . . . Si autem avertit se Justus a Justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes Justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praeviatione, qua praevicatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Ex quibus perspicuum est, ita mori impium in peccatis suis, sive ita peccando exidere a vita gratiae, & charitatis, sicut Justus praeccepta Dei custodiens vita vivit, & non moritur: quam ob rem sicut Justus, quamvis antea peccaverit, post penitentiam de peccatis actam a Justitia statu, & in eo extinguitur vita animae, quae gratia & charitate constabat.

Idem ex cap. 33. perspicuum est: ubi Deus Propheta jubet, ut ita denuntiet populo: Justitia Justus non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impi non nocet ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: & Justus non poterit vivere in Justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixerit Justo, quod vita vivat, & confusus in Justitia sua fecerit iniquitatem; omnes Justitiae ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixerit impio: Morte morieris: & egerit penitentiam a peccato suo, feceritque judicium, & Justitiam, & dignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitae ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei: judicium, & Justitiam fecit, vita vivet.

Respondent Heterodoxi hunc Ezechielis locum de his non esse intelligendum, qui vere Justi sunt; sed solum, qui Justitiae speciem quamdam externam habent, & re vera coram Deo peccatores sunt, & hypocritae. Addunt insuper, propositionem Ezechielis conditionalem esse duntaxat: propositiones autem conditionales nihil in re parere. Quam ob rem indicare Prophetam, quid futurum esset, si deficeret Justus a Justitia sua; scilicet in peccato suo moriturum; sed non afferere, id esse possibile: quod nunquam contingere posse contendunt. Ita respondent David Parraeus lib. 3. de Just. cap. 14. & Amesius in Scriptis antitynodalibus. Verum quantum ab ostio aberrant, qui ita Ezechielis textum interpretantur, palam ostendo.

De eodem Justo intelligitur, quod ab Ezechiele Propheta dictum est: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria Justitiae ejus, quas fecit, ex hypothesi quod deficiat a Justitia, de quo dictum est: Vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, ex hypothesi quod nuncium remittens peccatis, reversus sit ad Justitiam: atqui de eo, qui vere Justus est posteriora verba intelliguntur; igitur & priora. Secundo: si ullius momenti esset haec Calvinistarum Glossa, sequeretur, hunc Prophetarum verborum, imo Dei per Prophetam loquentis sensum esse: Si Justus, qui re vera Justus non est, sed externa tantum specie, & in turrimus iniquitatis inquinatus, avertit se a falsa Justitia sua, occulta flagitia manifesta faciendo; omnes Justitiae ejus non erunt in memoria coram me; id est, ejus factio externa virtutis specie velata, quibus illudebat hominibus: sed morietur in peccato suo. Haec potro oratio non solum Deo, sed homine quovis sapiente indignissima est. Ille enim hypocrita non minus in peccato mortuus esset, quamvis in eminentia Justitia

perseverasset. Cur ergo ipsi mors aeterna intentatur, si a falsa illa Justitia deficiat? haec sane absurdissima sunt.

Præterea ineptum est, fingere quod de eo, qui vere Justus non est, sed falsa specie Justitiae fucum mortalibus facit, dixerit Deus cap. 33. Justitia Justus non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, quasi vero falsa Justitia ipsum liberasset, nisi peccatum illius antea pietatis larva obductum, apertam prodidisset in lucem. Addit Propheta: Justus non poterit vivere in Justitia sua, in quacumque die peccaverit. Quae verba si de falsa & apparente Justitia intelligantur, consequens est, potuisse vivere hominem, si in falsa Justitia perseverasset. Quo quid absurdius?

Tertio: Sicut Deus Justo comminatur, oblivioni se traditurum Justitiam ejus præteritam in penam peccati; ita promittit peccatori penitentem, se oblivioni daturum peccata ipsius præterita in gratiam penitentiae. Porro, nisi de eo, qui vere Justus est, sermo esset, non jam cederet in penam illa Justitia præterita oblivio; quin imo insigne beneficium esset, quod falsa Justitia & bonorum operum specie tenus ab hypocrita editorum Deus oblivisceret, nec eorum rationem haberet ullam in judicio suo: siquidem nihil aliud, quam damnationis sententiam in caput ejus accerere possunt. Itaque de vera Justitia Deus per Prophetam loquutus est.

Altera Responso, cui præcipue insistant Heterodoxi, non est magis consentanea rationi. Primo enim ex Hebraeo textu avertitur, cui potius, quam Verisionibus standum ipsi contendunt. Nam propositio Ezechielis in Hebraeo Textu conditionata non est, sed de verbo ad verbum sic reddenda: Justus se avertens a Justitia sua: aut certe hoc modo: cum avertit se Justus a Justitia sua: sicut Tremellius & Junius ex Heterodoxorum grege verterunt.

Præterea propositiones conditionatae, quae in Categoricas resolvi possunt, non sunt ejus conditionis, ut nihil ponant in re, sed solum innuunt consequentis cum antecedente connexionem. Hanc enim ingenerant notionem, quod conditio ipsarum possibilis sit, quam non ingenerant propositiones conditionatae, quae in Categoricas, salva earum veritate, resolvi non possunt. Ut in his propositionibus videre est: si praedestinatus in peccato mortali obiret, damnaretur: si infans ratione & sermone utentes nascerentur, innuere possent conceptus, quos in utero matrum edebant: & in his ex Scriptura Sacra depromptis: si ascendero in Oriam, tu illic es: si descendero in infernum, ades, Psalm. 138. Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Ita enim propositiones ita conditionatae sunt, ut resolvi non possint in categoricas, adeoque conditio ipsarum est impossibilis. Quod si absolute enunciarentur, nemo non judicaret, eum qui ipsas proferret, censere, illarum objectum esse possibile, aut certe a communi & humano loquendi modo toto Caelo aberrare. Cum itaque propositio Ezechielis: si avertit se Justus a Justitia sua, in Categoricam resolvatur; ut ex Hebraeo Textu constat; colligere est, possibilem esse conditionem in illa expressam; adeoque posse Justum re ipsa decidere a Justitia sua.

Tertio: Si Heterodoxorum Responso locum haberet, multa Religionis nostrae dogmata, quae in Scriptura sacra conditionatis propositionibus enuntiantur, facile everti possent. Cum enim Christus vitam aeternam certis conditionibus promittat, si mandata ejus custodiamus; si abnegetur nos metipsum; ipsum sequamur; crucem feramus; si Justitia

Justitia nostra abundet plusquam Scribarum, & Pharisaorum: cum veniam peccatorum spondeat, si penitentiam egerimus; facile dici possit, quod Heterodoxi comminiscuntur in explicando præfato Ezechielis loco; propositionem conditionatam affirmare quidem, si hoc extiterit antecedens, quid inde consequatur; non affirmare tamen antecedens illud exiturum: sique verè asserere Scripturam, si hæc, vel illa faciamus, nos remissionem peccatorum, & vitam aeternam consequuturos; sed non affirmare, quod illa præstare possimus; id est congruam agere pro peccatis post Baptisma commissis penitentiam, mandata Dei implere, Christum sequi, nos metipsum abnegare. Quo quid absurdius?

Quarto: Et si propositiones conditionatae solum consequentis cum antecedente connexionem enuntiant, fateri tamen debent, qui non sunt ratione penitus destituti, propositiones illas, conditione posita, absolutas evadere; id est, attributum convenire subiecto. Sic cum lex statuat homicidam capite damnandum his verbis: si quis homicidium perpetraverit, capite plectatur: statim atque homicidium Petrus admittit, non jam sub conditione, sed absolute statuantur Judices morti addendum. Quamvis itaque propositio Ezechielis conditionata sit: Si conversus Justus a Justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem . . . In peccato suo morietur, & non erunt in memoriam Justitiae ejus, quas fecit; Tamen si ponatur conditio hac propositione expressa, id est, si Justus conversus a Justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, erit absolute verum consequens illud, quod nimirum in peccato suo morietur, & non erunt in memoriam Justitiae ejus, quas fecit: atqui revera Justus iniquitatem quandoque facit & a Justitia sua avertitur; Nunquid enim David a Justitia sua avertus non est, & iniquitatem non fecit, cum Bersabean constupravit, & occidi Justitiam Uriam? Numquid Salomon a Justitia sua non est avertus, & iniquitatem non commisit, cum Idola Mulierum alienigenarum tot annos adoravit? Numquid incestuosus ille Corinthus non est avertus a Justitia sua, & commisit iniquitatem, cum talem fornicationem perpetravit, qualis nec audiebat inter gentes, ita ut patris sui Thalamum pollueret? Quae cum ita sint, concludendum est nobis propositionem illam, si conversus Justus a Justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, in peccato suo morietur, & non erunt in memoria Justitiae ejus; non involvere conditionem impossibilem; adeoque ex illis Ezechielis Prophetæ locis, liquido colligi, Justum posse a statu gratiae & Charitatis excidere.

Momentum probationis alterum petitur ex Parabola seminum Evangelii Matthæi 13. Marci 4. & Lucae 8. in qua vocatorum genera quatuor, locis totidem in qua semen cadit, designantur: aliud enim cecidit secus viam, & concuscatum est; & volucres Caeli comederunt illud: quo designantur hi, qui verbum Dei audiunt, sed non credunt, quia venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Aliud cecidit supra petram, & natum aruit; quo designantur hi, qui cum audierint verbum fidei, cum gaudio suscipiunt illud; sed radices non habent; Charitate nempe sunt destituti: unde ad tempus credunt, & in tempore Tentationis recedunt. Aliud cecidit inter spinas, & simul exorte spine suffocaverunt illud; quo designantur hi, qui audiunt, credunt, & Charitate inardescunt; sed non perseverant: quia sollicitudines, divitiæ, & voluptates saeculi radicem suffocant, ne referat fructum. Aliud denique cecidit in terram bonam; & optimum fecit fructum centuplum; quo significantur il-

li, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Qui secundi generis sunt, fidem sane habent, & quidem veram, cum de illis dicat Christus, quod Verbum cum gaudio suscipiunt, & ad tempus credunt. Et tamen illi non solum perseverantiam non habent, sed nec Charitatem. Multo magis veram fidem habent, qui tertio genere seminis designantur; siquidem radices egere in charitate, per quam fides operatur; sed ortæ spinæ, id est divitiarum & voluptatum studia, impediunt, ne fructus ad maturitatem perveniat. Itaque non perseverant, nec salvantur quicumque justificati sunt; aut qui veram fidem habent; sed possunt a Justitia & a fide ipsa excidere. Id agnovit Calvinus ipse vi coactus veritatis, cum hæc Parabolam exposuit in Harmonia Evangelica: quamvis in Institutionibus, dogma oppositum de Inadmissibilitate Justitiae propugnet: Danda, inquit, singulis opera est, ut spinas ex cordibus suis avellant, nisi Verbum Dei suffocari velint, quando nemo est, qui non ingenti spinarum copia & silva repletus sit; & certe videmus quam pauci ad maturitatem perveniant: quia vix decimus quisque non dico ad extirpandas; sed ne ad refecandas quidem spinas intentus est.

Probatur itidem ex Apostolo ad Hebræos 6. dicente, Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque saeculi venturi, & prolapsi sunt; rursum veniunt ad penitentiam, rursum Crucifigentes sibi metipsos filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportuna illis, a quibus colitur; accipit benedictionem a Deo: Proferens autem spinas, ac tribulos, & reproba est, & maledictio proxima: cuius consummatio in combustionem. Hic de veris fidelibus loqui Apostolum ex totius loci serie evidens est, cum ipsos illuminatos vocet a Deo, qui vere fidei character est; imo fidei per charitatem operantis secundum solemnem ejus loquendi modum, ut patet ex illis verbis cap. 10. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinistis passionem. Secundo ait, ipsos gustasse donum caeleste, quod remissionem peccatorum significat, ut Græci Patres interpretantur. Tertio ait, ipsos participes factos esse Spiritus Sancti: quod in Novo Testamento nunquam de aliis dictum legitur, quam qui fide & Charitate a Deo donati sunt. Quarto: Id probat comparatio Christiani post Baptismum peccantis cum Terra, quae illam imbrem suscipiens, spinas proferet, cum alia quae eodem imbre profusa generat herbam opportuna illis, a quibus colitur. Unde Telluris illius maledictæ consummatio in combustionem est: quibus significat Apostolus, Christianum illum reprobum aequè fuisse sanctificatum in Baptismo, ac illum, qui fructus honorum operum parit, & in his perseverat.

Confirmatur ex Cap. 10. ejusdem Epistolæ ubi ait. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam vocatis, jam non relinquimus pro peccatis hostia, Terribilis autem quedam expectatio Judicii, & ignis emulatio, quae consumpura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysis sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur. Quanta magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei concusserit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiae contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit: nihil vindicta, & ego retribuam. Et iterum: quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Hæc Apostolus. Quo

ex loco perspicuum est, iustos, & fideles quandoque a iustitia excidere. Namque de veris iustis loqui Apostolum, constat ex illis verbis: *post acceptam notitiam veritatis; quæ cognitionem illam significant, quæ Deus Christianos donat, de qua alibi loquitur dicens: Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: prima ad Timotheum cap. 2. v. 4.* id est ad gratiam Christianam, & ad notitiam illam Veritatis, quæ salvat homines, quia cum charitate conjuncta est. Præterea crimen eorum, qui post acceptam notitiam veritatis peccant, exaggerat Apostolus dicendo, ipsos Filium Dei conculcare, & sanguinem Testamenti pollutum ducere, in quo sanctificati sunt, & Spiritui gratia contumeliam facere. Quod certe de his intelligendum est, qui Christum per fidem susceptum ex animis suis expellunt, & ad peccata pristina redeundo vel nova committendo, sic in vanum gratiam Dei accepisse demonstrant, in qua non perseverant.

Denique iustitiam hominis status discrete his verbis significatur: *& sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.* Scopus enim Apostoli hac in Epistola est ostendere discrimen inter Victimam, quæ in Veteri Testamento immolabatur, & novi Testamenti Victimam; quod priores nunquam possent offerentes perfectos facere, sed inquinatos sanctificarent duntaxat ad emundationem carnis: posterior vero, scilicet Sanguis Christi, emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis ad servendum Deo viventi, ut loquitur Apostolus cap. 9.

Mirum quot hic anfractus & diverticula querant Calvinistæ, ut hæc Apostoli momenta in suum sensum, si fieri potest, trahant; Sed de his in sequenti.

PRÆLECTIO VII.

Quid ad hæc Pauli testimonia Calvinistæ reponant, ostenditur; eorumque suffragia præcluduntur.

Pergimus vulgata plurimum Calvinistarum commenta refellere, quæ prolata a nobis superius Pauli Apostoli testimonia in prævium eorumdem sententiæ sensum inflectere conantur. Contendant enim eorum aliqui, quorum Princeps est Triglandius in libro inscripto *Trina Dei gratia*, propositiones S. Pauli quoad sensum hypoteticas esse; id est significasse Apostolum, fore ut illi in iustitiam primitivam nunquam resisterentur, qui a Deo illuminati erant, si voluntarie peccarent. Sed ipsum apprimè cognovisse, id prorsus impossibile esse: ideoque solam consequentem cum antecedente, id est poenam cum peccato connexionem his locis significasse. Sed opus non est ut in hac misera confutanda responsione diutius immoremur, quam jam superius prostragavimus, urgendo argumentum ex Ezechiele petiitum.

Respondent alii, ut Professores Salmurienses in Collectione Theſium, ubi agunt de *perseverantia fidei*, S. Paulum de his non loqui, quorum vera fides est; quia, inquam, deest illis aliquid, sine quo vera fides esse non potest, unde fit, ut tandem aliquando deficiant; cum contra vere fideles ad mortem usque perseverent.

Sed ineptissima est hæc Responsio & manifesta petitio principii. Queritur enim utrum fideles aliquando a Statu Iustitiæ & Charitatis excidant. Ad contingere adversus Calvinianos probamus perspicuis S. Pauli testimoniis; Illi vero respondent, ideo ipsos cadere, quia ipsi aliquid deest, sine quo fides vera est nulla. Certe eadem ratione dicere li-

cebit, eos qui vere sani sunt, nunquam in morbum incidere; eos qui mentis fuit composes, nullo casu mentis alienationem pati: quod tamen quis dixerit prudens? Id, inquam, eadem ratione propugnare liceret, statuo pro principio, nullam esse veram sanationem, quæ aliquo morbo affligi posset: Nullam esse mentem vere sanam, quæ unquam possit debilitari, Cum vero proponerent exempla hominum perfecte sanorum, aut sui compositum, qui in morbum aut amentiam incidissent, facile responderetur, aliquid ipsis defuisse, sine quo nec vera Sanitas, nec vera sapientia possunt inveniri. Non assimilis porro est Calvinianorum responsio.

Respondent alii, colligi ex verbis Apostoli, ipsum non loqui de vere fidelibus, quia ipsos illuminatos vocat, id est sola luce Evangelii quoad mentem persufos, quæ ad voluntatem usque non pertigerit.

Verum ex omnibus S. Pauli Epistolis contrarium evidenter colligitur: hæc enim illuminatione fideles ab infidelibus discernit dicendo, *2. ad Corinth. 4. In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Contra vero *lucis & illuminationis nomine significat excellentiores divinæ Gratiæ in Apostolis, & per Apostolos operationes, ut patet ex illis verbis ejusdem Capituli, Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Præterea dici non potest, Apostolum, cum Ephesibus adprecatur illuminatos oculis cordis, ut sciant, quæ sit spes vocationis Christi, solum ipsis operasse lumen, quo illustraretur intellectus, non vero inflammaretur ac persiceretur voluntas. Denique de lumine, quod in mente sistat, explicari non possunt illa Apostoli verba: *lux estis in Domino: ut filii lucis ambulato: Induimini arma lucis. Fructus lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate.* Quomobrem planum est, Calvinianos hæc Apostoli locum a proprio & genuino sensu detorquere, cum illum de veris fidelibus non intelligi contendant, quia dicuntur illuminati.

Denique respondent alii, omnia, quæ a S. Pauli his in locis afferuntur, hypocrisis convenire posse sacramentaliter, & quoad signa exteriora, licet non spiritualiter, & quoad gratias significatas; quia cum Baptismus sæpe illuminatio ab antiquis appelletur, quia illuminationis Sacramentum est, dei possunt illuminati & participes S. Spiritus quicumque Baptismum accepere.

Verum hæc Responsio Apostoli veracitati & ingenuitati injuriam facit: quos enim exterius tantum ablutos & interna iustitia destitutos nosset, nunquam illuminatos, Spiritus S. participes, & sanguine Testamenti sanctificatos appellasset. Id fatebitur quisquis cum hoc capite contulerit ea, quæ idem Apostolus habet *1. ad Corinth. cap. 11.* ubi de his loquitur, qui indigne corpus Christi manducant. Quamvis enim Sacramentaliter ipsum recipiant, non ait Apostolus eos participes esse S. Spiritus, gustare donum cœlestis, & bonum Dei Verbum, & sanctificatos esse Christi sanguine, quod in adorando illo Sacramento haurebant. Imo eorum crimen execratur his verbis: *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne: Reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit; non dijudicans corpus Domini.* Eodem plane modo loquutus fuisset Apostolus *Capitulum 6. & 10. Epistola ad Hebræos*; si de istantum sermonem fecisset, qui in Sacramen-

tis nihil aliud præter signa exteriora recepissent.

PRÆLECTIO VIII.

Sententia de Amissibilitate Iustitiæ aliis multis Scripturarum oraculis, novisque animadversionibus communitur; falsæ Calvinistarum interpretationes occupantur.

AB instituto nostro desleximus aliquantulum, Viri Theologi, dum in antehabita Relección ad ea Calvinistarum commenta rejicienda studium ac laborem impendimus, quæ perspicua atque dilucida Pauli Apostoli testimonia obscurare & involvere, nitebantur, Redeamus in viam; nostramque Sententiam de Amissibilitate Iustitiæ, aliis pluribus Scripturarum Oraculis, novisque animadversionibus, magis magisque statuamus.

Præsto est nobis *Epist. 2. S. Petri cap. 2. Evangelium vero & Pseudo-Prophecia*, inquit, *in populo, sicut & in nobis erunt Magistri mendaces, qui invadent Sællas perditionis, & cum, qui emit eos, dominum negant, superducentes sibi celestem perditionem.* Falsi illi Doctores, de quibus Apostolus Petrus loquitur, Baptismo initiati fuerant, & nomine Christiano gloriabantur: Igitur perperam putant Calvinistæ, nunquam eos vere fideles fuisse, cum longe veritabilius sit, eos Christianam fidem sincere amplexos, cupiditate, ambitione, aut voluptate tentatos postmodum ac abreptos, a Iustitiæ, & virtute defecisse. Id ex his S. Petri verbis colligere est: *qui emit eos, Dominum negant.* Ingrati enim animi vitium ipsis exprobrat, eorumque crimen exaggerat; quod participes facti redemptionis Christi, quæ cum fidelibus communicatur, (secundum dogma Calvinianum) ipsum facinoribus suis, pravique dogmatibus inhonorarent, & Infidelium ludibrio exponerent.

Respondent Calvinistæ, S. Petrum de falsis Doctores, velut de hominibus a Christo redemptis ibi loqui, quia quodam iudicio Charitatis tales habebantur quandiu in Ecclesiæ Communione permanebant.

At hæc Responsio inutilis est. Cum enim de proximis recte iudicamus ex Charitate, quia obsecras nobis est illius Status, Iudicium illud deponimus, si illius crimen certissimis documentis comprobetur, & innotescat. Igitur si S. Petrus in ea Sententia fuisset, quam Calvinistæ propugnant, de falsis illis Doctores iudicare quidem potuisset, illos vere fideles esse, & Jesu Christi Sanguine redemptos, antequam a veritate & pietate defecissent, sed comperta eorum Apostasia iudicasset, quod Calvinistæ affirmant, ipsos nunquam vere fideles extitisse; adeoque nec Redemptionis Christi participes: quod est Calviniani dogmatis constatarium. At S. Petrus de illis post lapsum & deflectionem loquens, ipsos adhuc respicit, ut participes Redemptionis Christi, cuius nemo pareiceps est absque fide. Unde ipsis exprobrat, quod eum, qui ipsos emit, Dominum negant. Existimabat itaque S. Petrus, falsos illos Doctores aliquando vere fideles & iustos extitisse.

Confirmatur ex eodem Capite *versu 18.* ubi ait Apostolorum Princeps: *superba enim vanitatis loquentes, pellicium in desideris carnis luxurie eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis.* Quibus verbis ostendit Apostolus, eos, qui a falsis Doctores in exitum trahuntur, aliquando iustos fuisse, cum ab ipsis falsæ libertatis spe ducantur in errorem, & cupiditatis mancipentur.

Reponunt Calvinistæ, de veris quidem fidelibus

Serry Tom. IV.

loqui S. Petrum, sed illos re ipsa seduci a falsis Doctores minime asserere, ac tentari duntaxat & pellici, ut habet textus Epistolæ laudatus. Verum hæc Responsio facile confutatur ex verbis sequentibus *versu 20.* ubi de istis loquens hæc habet: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam Iustitiæ, quam post agnitionem, rursus conversi ab eo, quod illis traditum est, Sancto Mandato, Conscitit enim eis illud veri Proverbi: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Ex quibus perspicuum est, loqui Petrum eo loci de iis, qui cum vere fideles & iusti essent, a via Iustitiæ deficiunt.*

Probatur quinto: argumento petito ex iustificatione Infantium. Dogma Calvinistarum est, fidelium filios esse Sanctos, aut virtute Baptismi, aut beneficio federis gratuiti, in quo cum parentibus comprehenduntur: quod Dordrechtana Synodus *cap. 1. art. 17.* definitur: atqui plurimi Infantibus ab eo Iustitiæ statu excidunt, progressu factantes ab eo Iustitiæ statu excidunt, quæ a Regno Dei excludunt, & in his ad obitum usque perseverant: Iustitiæ itaque semel accepta non est inamissibilis.

Respondent Calvinistæ, eos nunquam vere fideles & iustos fuisse, qui non salvantur. Sed hæc responsio vim Baptismi penitus enervat, injuriamque Christo Redemptori facit, qui Sacramentum suum in illo, in quo nullus est obex, egeum & vacuum elementum, ac inane signum esse statuat. Sane Calvinistarum dogma est, Sacramenta, licet res signatas & invisibiles, five locali distinctantia sibi nec inhaerentes nec adherentes habeant, non tamen propterea esse nuda & vacua signa: siquidem non sunt signa nuda præsentantia, sicut signum est Victoris erectum Tropæum: sed ob signantia & organice communicantia atque exhibentia res signatas; adeo ut qui ea qua par est, reverentia accipit hæc visibilia signa, vere fit particeps rerum signatarum, quarum fructus in usu legitimo semper conjuncta est cum fructione externorum Symbolorum. Ita docet Windellianus *lib. 1. Apologia capite 20.* Res præter significatam in Baptismo sunt: Primo, Sanguis Christi: Secundo, mundatio a peccatis per & propter Christi Sanguinem pro nobis fufum: Tertio, unum nostrum cum Christo archissima ut docet idem Windellianus *cap. 22.* Fatentur insuper Calvinistæ gratias hujusmodi significatas cum Infantibus communicari posse. Infantes, inquit Windellianus, *sunt capaces Spiritus Sancti, & rei per Baptismum signate, nempe purgationis a peccatis per Christi Sanguinem: ergo Baptismi quoque sunt capaces, qui tanquam signum negari non debet.* Ex quibus omnibus a Calvinistis confessis dogmatibus, colligitur, Baptismum vacuum & nudum signum esse respectu Infantium omnium, qui ex Parentibus fidelibus nati, & in infantia baptizati, postea in ea crimina prolabantur, de quibus scriptum est, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; & in his ad mortem usque perseverant: sequitur, inquam, Baptismum respectu eorum inane signum esse, quamvis non minus capaces sint & dispositi ad eximia illa dona recipienda, quæ baptismo significantur, quam alii Infantes, qui vere fideles & iustitiam in Baptismo recipiunt, secundum Calvinistas, quia nunquam ea sunt amissuri.

Probatur sexto: quicumque non perseverat usque in finem, ille certe a iustitia excidit: atqui iusti fideles non perseverant usque in finem: igitur a iustitia excludunt. Liqueat hoc ex notione perseverantis Christianæ; quæ colligitur ex Evangelio.

P p p

gello ubi Christus dicit, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: Matthæi 10. Ibi enim Christus hanc velut istius perseverantiam conditionem præscribit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et ut constantiam in atrocioribus persecutionibus servandam suadeat, adjicit: omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est. Tum alia Christianæ vitæ officia, in quibus perseverare necessarium est ad salutem, commemorat: Qui amat Patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Quod S. Lucas pariter refert cap. 14. Ex quibus colligitur primo, eos non perseverare, qui Christum coram hominibus negant Tyrannorum metu, qui corpus solum occidere possunt. Secundo: perseverantiam, ex qua pendet salus æterna, ex amore Dei oriri, qui prævalet amori, quo parentes, nosque ipsos diligimus. Tertio: eos qui Christum non sequuntur, crucem ejus non ferunt, sed secundum mundi leges vivunt, & suis cupiditatibus obsequuntur, non perseverare in justitia. Porro experientia docet, plerisque fideles metu suppliciorum fidem negare; plerisque suos sequere ipsos præ Deo diligere; multos denique a cruce abhorretere, mandum secleri, cupiditati morem gerere: idque ultro fatentur Calvinistæ Salmurienses in Theibus. Igitur perspicuum est ex Scriptura Sacra, fideles omnes in justitia non perseverare.

Confirmatur ex Apostolo ad Hebræos Capite 3, ubi Christum Moyse opponens, ait: Christus vero tanquam filius in domo sua: que domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus. Igitur supponit Apostolus, eos, ad quos scribebat, vere fideles esse; siquidem ipsos domum Dei appellat; innuit nihilominus ipsos posse non retinere usque in finem fiduciam & gloriam spei, quam habebant. Itaque persuasum ipsi non erat, perseverantiam cum vera fide semper esse conjunctam. Ideo subjungit: Quapropter sicut dixit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et postea: videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo: sed ad hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Sicine loquutus esset Apostolus, si justitiam semel acceptam inamissibilem esse existimasset; & vere fideles usque in finem nunquam non perseverare, ut Calvinistæ contendunt?

Confirmatur secundo: ex Epistola ad Hebræos cap. 12. ubi Apostolus ait: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantis nequis desit gratia Dei: ne qua radix amaritudinis, sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi: ne quis fornicator, aut prophanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitivam suam: scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobus est. Ibi opponit Apostolus fornicationem Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, & admonet fornicatores desse gratiæ Dei, sive ab ea excidere; idque eventurum singulis, qui se fornicatione contaminaverint, aut instar Esau prophanus fuerint, affirmat. Atqui Calvinistæ ultro

fatentur multos e fidelibus se se fornicatione pollueri, & magis prophanos esse, quam Esau: quia transitorius peccati delectationem gratis majoribus anteponunt, quam ex fuerint, quas amisit Esau, jura primogenitorum vendens. Fateantur itaque necesse est, fideles a gratia Dei excidere, nec in sanctimonia perseverare, sine qua nemo videbit Deum.

Confirmatur tertio: ex Epist. 1. ad Corinthios, cap. 9. ubi ait Apostolus: nescitis quod si qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium? Sic currite ut comprehendatis. Tum quid Athleta præstat & quid Christianis ad vitæ æternæ præmium currentibus faciendum sit, subjicit: omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Denique se ipsum in exemplum offert eorum, qui ad præmium pertingere satagunt: Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi ærem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Quibus verbis eos, qui vere fideles sunt & justii, a vitæ æternæ aberrare posse, & deficere ostendit; & se ipsum, qui vere fidelis erat & justus, de seclerum, nisi ea observaverit Christianæ vitæ officia, quæ ibi commemorat.

Et capite sequenti id ipsum confirmat exemplo Judæorum; qui licet mare rubrum transissent, & manna degustassent, nihilominus in deserto perierunt; ut demonstret, fideles bene multos, qui sacro Baptismate sunt regenerati, & Christianæ gratiæ suavitatem in Eucharistia degustarunt, ad beatitudinem æternam minime pervenire: sicut Judæi Terram promissam non sunt ingressi. Nolo enim, inquit, vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt: & omnes eundem potum spiritalem biberunt. . . . sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: Nam proftrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatram efficiamini, sicut quidam ex ipsis. . . . neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt. . . . Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat.

Probatur septimo: ex Apocalypsi cap. 2. ubi jubetur S. Joannes Angelo Ephesi, idest Episcopo Ephesina Ecclesiæ scribere: scio opera tua, & laborem & patientiam tuam. . . . Sed habeo adversum te quod Cbaritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris; & age penitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris. Et illis, qui Thyatiræ erant: tamen, id quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Et cap. 3. Angelo Philadelphie scribit: ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Ex quibus verbis perspicuum est, fideles & justos posse a beato illo statu deficere, & coronam amittere.

PRÆLECTIO IX.

Eadem Sententia petitis ab Augustino momentis confirmatur: Calvinistarum cavilli revolvuntur.

Dispensum opera facerem, si quemadmodum in omnibus aliis, in hæcæ quæstione Augustini mentem non inquirerem, nobisque per omnia consentientem, non ostenderem. Hoc statuisse videtur SS. Doctor lib. de correptione & gratia cap. 6. Si autem jam regeneratus, & justificatus in malam vitam sua voluntate relapsum, certe iste non potest dicere: Non accipi: Quia acceptam gratiam Dei suo in malam liberam amisi arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemuit, & ad similia bona opera, vel etiam meliora revertitur: nempe hic apertissime utilitas correptionis apparet.

De vere iusto loqui S. Augustinus satis aperte colligitur. Nunc nihilominus acceptam gratiam, qua in Christo regeneratus fuerat, amittere posse significat. Id sequentia verba confirmant: An adhuc iste volens corrigi, potest dicere: quid ego feci, qui non accipi quem constat accepisse, & sua culpa quod acciperet amississet? Possunt, inquit, possunt omnino, quando me arguit, quod ex bona vita in malam mea voluntate relapsus sum, dicere adhuc quid ego feci, qui non accipi? accipi enim fidem, qui per dilectionem operatur: sed in illa usque in finem perseverantiam non accipi. An quisquam dicere audebit istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis illi habuerit, non ei possit Apostolus dicere: Quid enim habes, quod non accepisti; quoniam hoc sic habet, ut non acciperit? Scant igitur Augustinus a fide, qua per dilectionem operatur, posse quempiam excidere.

Hæc idem significatum voluit Augustinus cap. 7. ubi quatuor distinguit hominum ordines: scilicet eorum, qui Evangelium non audierunt; eorum, qui auditio Evangelio in melius commutari perseverantiam non acceperunt; eorum, qui Evangelio auditio, venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt; Et eorum, qui per etatem parvulam nec credere potuerunt; sed ab originali noxa, solo possent lavacro regenerationis absolvi; quo tamen non accepto mortui perierunt. Ex quibus constat vere fideles & justos aliquando non perseverare in Justitia. Quis enim eos vere fideles & justos esse negaverit, qui auditio Evangelio in melius commutati sunt?

Ibidem duplex Prædestinatorum genus S. Augustinus distinguit: Primo scilicet eorum, quibus procuratur audiendum Evangelium; & cum audiunt credunt, & in fide, qua per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: Secundo eorum, qui in via quidem Justitiæ exorbitant; sed correpti emendantur, & in viam quam reliquerant, redeunt; Horum fides, inquit, que per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur; & deleta, que intercurrent, iniquitate, usque in finem perseverantia depuratur.

Illud idem probatur ex Capite 8., ubi hæc habet S. Augustinus: Hic si a me queratur, cur etiam Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua Christiane vixerent, dilectionem dedit: non ignorare respondeo. Ex quibus perspicuum est, secundum Augustini mentem, Deum non dedisse perseverantiam his omnibus, quibus dilectionem & fidem dedit. Infra statim hæc subdit: Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Serry Tom. IV.

quibusdam Deus quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis seclera tanta dimittat, atque impetrata gratia, faciat filios suos. Secundum igitur Augustinum ii, qui sunt in Christo regenerati, & fide, spe, ac dilectione donati, non semper perseverant.

Inanis est porro quorundam Calvinistarum responsio, qui S. Augustinum exponunt de justis, qui hominibus tales quidem videbantur, sed respectu Dei tales revera non erant. Uade cap. 9. ejusdem libri ait: Nani isti cum pie vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei; Sicut enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt jam Deo. . . . Et sicut rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen mei Deo.

Hæc, inquam, responsio inutilis est: qui enim dicuntur a S. Augustino esse filii Dei nobis, sed non Deo, vere filii Dei sunt: non quidem secundum prædestinationem æternam: quia non sunt in memoriali patris sui inconcussa stabilitate concepti, ut ait S. Augustinus; sed secundum præsentem Justitiam. Unde idem S. Doctor ait: Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo: de quibus ait idem Joannes, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Et infra: Cum ergo filii Dei dicuntur de his, qui perseverantiam non habuerunt, non erant ex nobis; & addunt, quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: quid aliud dicunt, nisi non erant filii, etiam quando erant in professione; & nomine filiorum? non quia Justitiam simulaverunt; sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait: nam si fuissent ex nobis, veram, non falsam Justitiam tenuissent utique nobiscum: sed si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utique nobiscum. In bono illos volebat procul dubio permanere. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usque in finem perseveraverunt, non erant, inquit, ex nobis: & quando erant nobiscum; hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui vere filii sunt, præciti, & prædestinati sunt conformes imaginis filii ejus, & secundum propositionem vocati sunt, ut electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt. Non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit; habere enim eam, si in eo filiorum numero essent. Itaque secundum Augustinum quidam non prædestinati, adeoque non perseveraturi, vere filii Dei sunt.

Præterea: qui secundum prædestinationem sunt filii Dei, non ideo justii sunt eo ipso tempore, quo adhuc in infidelitate, & peccatis versantur. Igitur colligi non potest, eum, qui secundum æternam prædestinationem filius Dei non est, vere justum non fuisse, cum in Christo regeneratus est, & pie vixit; etiam postea ceciderit a Justitia, & in peccatis suis mortuus sit.

Nec sistent etiam Calvinistæ hæc S. Augustini verba in eodem capite: Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Nunquid non & isti Discipuli appellati sunt, loquentes Evangelio? Et tamen non erant vere Discipuli, quia non manserunt in verbo ejus, secundum id, quod ait: si manseritis in verbo meo, vere Discipuli mei estis. Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere Discipuli Christi, ita nec vere filii Dei fuerunt; etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos, & Christi. Di.